

ARGONAVTICON LIBER I, 730—792

contra effusa manus haerensque in pectore coniunx  
 'me quoque' ait 'casus comitem quicumque propinquat  
 accipies, nec fata traham natumque videbo  
 te sine, sat caeli patiens, cum prima per altum 765  
 vela dedit potui quae tantum ferre dolorem.'  
 talia per lacrimas. et iam circumspicit Aeson  
 praeveniat quo fine minas, quae fata capessat  
 digna satis; magnos obitus natumque domumque  
 et genus Aeolium pugnataque poscere bella. 770  
 est etiam ante oculos aevi rudis altera proles,  
 ingentes animos et fortia discere facta  
 quem velit atque olim leti meminisse paterni.  
 ergo sacra novat. veteris sub nocte cupressi  
 sordidus et multa pallens ferrugine taurus 775  
 stabat adhuc, cui caeruleae per cornua vittae  
 et taxi frons hirta comis; ipse aeger anhelans  
 impatiensque loci visaque exterritus umbra.  
 hunc sibi praecipuum gentis de more nefandae  
 Thessalis in seros Ditis servaverat usus, 780  
 tergemnam cum placat eram Stygiasque supremo  
 obsecrat igne domos, iamiam exorabile retro  
 carmen agens; neque enim ante leves niger avehit umbras  
 portitor et cunctae primis stant faucibus Orci.  
 illum ubi terrificis superesse in tempore sacris 785  
 conspexit, statuit leto supremaque fatur  
 ipse manu tangens damnati cornua tauri:  
 'vos, quibus imperium Iovis et non segne peractum  
 lucis iter, mihi conciliis, mihi cognita bellis  
 nomina, magnorum fama sacrata nepotum; 790  
 tuque, excite parens umbris ut nostra videres  
 funera et oblitos superum paterere dolores,